

FERIA TERTIA PENTECOSTES.

EVANGELIUM. JOAN. X.

IN illo tempore dixit Jesus Pharisæis : Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium, huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas. Et cum proprias oves emiseric, ante eas vadit, et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, qui non noverunt vocem alienorum. Hoc proverbium dixit eis Jesus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Jesus : Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium. Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones, sed non audierunt eos oves. Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur et egredietur, et pascua eveniet. Fur non venit, nisi ut furetur et mactet et perdat. Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant.

CONCIONES.

- I. Variæ Spiritus sancti functiones in hoc mundo.
- II. Media ad christianam perfectionem inspirata a Spiritu sancto primis Christianis.
- III. Quibus ex causis fere contemnatur magistratus.
- IV. Dæmones cur in mundo.
- V. Foramina per quæ hæresis irrepsit in Germaniam.
- VI. Cæremoniæ sacramenti confirmationis exponuntur.
- VII. Quatuor fines sacrificii missæ.
- VIII. Probantur indulgentiæ.

IX. Mysteria.

CONCIONES AUCTIONARIUM.

- I. Dulcis hospes animæ Spiritus sanctus apud quos hospitetur.
- II. Cur Spiritus sanctus in specie ignis apparuerit.
- III. Jubilæum quid sibi velit.
- IV. Quanti æstimanda sit s. confirmatio.
- V. Peccatum summo odio habendum velut tenebræ Ægyptiacæ.

CONCIO I.

VARIE SPIRITUS SANCTI FUNCTIONES IN HOC MUNDO.

- I. Spiritus s. est radius solis. — II. Fons paradisi. — III. Ventus in aere. — IV. Cor in homine. — V. Paterfamilias in domo. — VI. Magister in schola. — VII. Architectus in structura. — VIII. Navarchus in navigio, et ductor in via. — IX. Hortulanus in horto. — X. Ostiarius in ovili.

THEMA.

Huic ostiarius aperit. Joann. X.

In divinis Personis, auditores, Persona Spiritus sancti minus nobis perspecta et cognita videtur, quia ejus operationes admodum subtiles et occultæ sunt, et plerumque in intimis hominum penetralibus. Quæ causa est,

cur philosophi gentiles vestigium aliquod deprehenderint Patris et Filii, non item Spiritus sancti, ut docet Macrobius, in lib. de somno Scipionis, et ex eo D. Thomas, in 1. ad Rom. lect. VI. Posuerunt enim *primum principium*, Deo Patri correspondens : posuerunt et primam mentem creatam, quam vocabant *primum intellectum*, correspondentem Filio : nihil posuerunt quod responderet Spiritui s. Quinetiam plerique Judæi pene nullam cognitionem Spiritus sancti habuere ; non solum quia ipsius processio a Patre et Filio per mutuum utriusque amorem prorsus obstupescenda est, cui nihil vel in modico comparari queat, verum etiam quia operæ ejus magis sunt recondita. Non tamen ideo ea sive pauciora, sive minus necessaria sunt : quemadmodum enim ventum nec tangi-

FERIA TERTIA PENTECOSTES.

mus nec videmus, et tamen ejus effectus magnos et miros deprehendimus. Quis est, qui tibiis utricularibus et organis suavem dat concentum ? Ventus. Qui rotam molæ circumagat ? Ventus. Qui promovet navigia et affert ex omni orbe divitias ? Ventus. Quis fabrorum incendit carbones ad cudendum ferrum ? Ventus. Ergo ventus tibicen, ventus et organice, ventus molitor, ventus nauta, ventus faber ferrarius est, quia horum operas perficit. Par ratio est de Spiritu s. qui propterea appellatur Spiritus, et per modum aspirationis collatus a Christo est apostolis, et his diebus in specie spiritus vehementis seu venti dimissus est in fideles ; quia instar venti magna et miranda efficit in mundo, tametsi modus efficiendi nobis occultus sit. Quare ingrediamur aliquantulum officinam Spiritus s. et per symbola contemplemur mira ejus opera. Rogemus tamen prius, uti nos in musæum introducere dignetur.

I. Quid est in mundo Spiritus sanctus ? Quod est in orbe radius solis. Hic enim a sole prodiens. Primo, universam illustrat terram facitque omnia conspicua et manifesta, non modo ut cernantur, sed ut etiam cum voluptate cernantur ; per eam enim varietas, color, decor et pulchritudo rerum omnium apparet : ita Spiritus sanctus a Patre et Filio procedens per os apostolorum et prædicatorum, per Concilia ss. patrum, per libros doctorum, per oraculum sedis apostolicæ totam illuminavit Ecclesiam, ut non modo omnia, quæ ad fidem et bonos mores vitamque christianam bene et beatè docendam spectant, sint perspicua, verum etiam considerantibus, audientibus, legentibus suam voluptatem pariant. Quemadmodum ergo silicem pellas de mundo, vel : « De nocte lucernam e domo, superest ut nihil videant oculi, nihil operantur viventes, nec agnoscatur rerum dignitas, sed per ignorantiam aurum perinde conculcetur ac si ferrum esset : ita in intelligibili gubernatione impossibile est illam justitiæ manere vitam absque Spiritu, » inquit D. Basilius, l. de Spiritu sancto. Si enim Spiritu sancto destituta foret Ecclesia, nil nisi obscurissima nox foret, qualis cernitur apud hæreticos, qui perpetuo inter se contendunt de fidei dogmatibus, Scripturæ intellectu, nulla ipsis vera pietas aut virtutum studium. S. Eucharistiam, sanctos eorumque reliquias, s. missam, sacramenta et sacramentalia pedibus calcant, quasi lutum forent, quia lumine Spiritus sancti carent. Deinde : *Lux est mensura et numerus horarum, dierum, totiusque labentis temporis*, inquit S. Dionysius, l. IV. de divinis nom. c. 1. ita Spiritus sanctus docet nos numerum sacrorum librorum, nunc sacramentorum, decursum Ecclesiæ catho-

licæ, ab apostolorum tempore usque ad nostrum, seriem pontificum, annos et dies regiminis eorum, et quæcumque ad decorem ac regimen Ecclesiæ spectant ; ita ut sciamus nos catholici, quæ hora diei sit, ubi et quo in ovili, et quam secure simus. Reddit etiam Spiritus sanctus testimonium, moraliter saltem certum, ipsos esse filios Dei.

II. Quid in mundo Spiritus sanctus ? Quod in paradiso fuit fons, seu abyssus aquarum, quæ per varios terræ meatus se effundens irrigavit totam terram, Gen. 1. et II. Audiamus Cyrillum Jerosolymitanum : « Paradisum totum, inquit, catechesi XVI. fons vivus irrigavit, et una pluvia in universum descendit mundum, quæ alba quidem fit in spinis, rubra in rosis, purpurea in hyacinthis, ac in diversis speciebus diversa, et in omnibus fit omnia, cum nihilominus eadem sit, ejusdem speciei. Sic et Spiritus sanctus, cum sit unus et idem et non divisibilis, unicuique dividit gratiam prout vult, etc. » Ergo sicut ille irrigavit paradisum, et modo fontes ac fluvii rigant ac fecundant universam terram omnique generis frugum fertilem efficiunt, eademque aqua in aliis et aliis floribus et frugibus, alium et alium progignit colorem, odorem, saporem, etc. ita Spiritus sanctus donorum et gratiarum suarum influxibus lætificavit et fecundavit totam Ecclesiam, ut varios unigue virtutum flores et bonorum operum fruges produceret, in virginibus liliū castitatis, in martyribus rosam patientiæ, in monachis et eremitis hyacinthum vitæ cœlestis, etc. Quamobrem de Spiritu sancto intelligunt S. Basilius, Augustinus et alii illud Psalmi XLV. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei : sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*. Porro per civitatem Dei et tabernaculum intelligunt Ecclesiam. Quidquid igitur in Ecclesia admirandi splendoris, quidquid virtutum in sanctis cernimus, irrigationi Spiritus sancti tamquam fonti tribuendum, qui merita Christi Domini velut aquas in Ecclesiam effudit et fidelibus applicavit.

III. Quid in mundo Spiritus sanctus ? Quod est ventus in aere. Nam primo : « Sicut non est possibile, inquit D. Chrysost. ho. XX. op. imperf. ut ex sola pluvia fructificet terra, nisi super eam flaverit ventus : sic non est possibile, ut sola doctrina corrigat hominem, nisi cooperatus fuerit Spiritus sanctus in corde ipsius. » Ergo instar venti fruges bonorum operum promovet, homines consolidat in virtute. Secundo, sicut ventus, præsertim vehemens, uti turbo, turres dejicit, arbores evellit, rupes scindit : ita Spiritus sanctus per apostolorum prædicationem mundum idololatriæ evertit, potentiam, sapientiam, eloquentiam tyrannorum et philosophorum

stravit. Idemque adhuc, cum opus est, facit in Ecclesia: nam et superbos dejicit, juxta id Ps. XLVII. *In spiritu venementi conteres naves Tharsis*, hoc est, superbos, obscenos, avaros, qui in aquis et deliciis mundi volutantur: arbores etiam steriles, fideles inquam male et impie viventes, sæpenumero evellit radicitus, et ejicit extra Ecclesiam: e contra multos obstinatos, saxo duriores scindit ad pœnitentiam.

Tertio, quemadmodum ventus aerem perpurgat, et salubrem ac serenum reddit, fœtores tollit, telas araneorum dissipat et lacerat: ita Spiritus sanctus Ecclesiam Christi purgat modo persecutionibus, modo hæresum permissione. Hinc enim serenitas redit Ecclesie; fœtores vitiorum, e quibus hæretici, velut pediculi e pedore corporum et vestium prodire solent, tolluntur: denique, ipsæ etiam hæreses velut araneorum telæ vento isto diffantur, et in schismata lacerantur, tandemque evanescent.

IV. Quid in mundo Spiritus sanctus? Quod est cor in homine. Unum quoddam corpus mysticum esse Ecclesiam constat. Caput ejus Christus est ad Eph. 4. *Ipsium dedit caput super omnem Ecclesiam*. Collum Deipara, quia capiti vicinissima; de qua natus est Jesus caput nostrum, quomodo a collo prodit caput. Oculi sunt antistites, lingua concionatores et doctores, dentes religiosi, aures confessarii, manus et pedes cæteri fideles operibus bonis intenti, cor est Spiritus sanctus, uti docet S. Gregorius Nyssenus et D. Thomas. Primo, quia sicut cor est sedes amoris, ita et Spiritus sanctus, quia in eo terminatur amor Patris et Filii, unde vocatur etiam amor utriusque, quia per modum amoris ab utroque procedit, quando ergo Pater et Filius dedit nobis Spiritum sanctum; dedit quodammodo cor suum.

Secundo, quia sicut cor est fons caloris et spirituum vitalium, quos toti corpori subministrat; ita Spiritus sanctus auctor et origo est charitatis et gratiæ, cæterarumque virtutum et bonarum actionum inde prodeuntium: quidquid enim per charitatem homo operatur, id vitale, hoc est, supernaturale est, vitæ æternæ meritum. Quare sicut per cor vivit totum corpus, ita per Spiritum sanctum vivunt vita supernaturali, quæ est gratia, omnium justorum animæ, quorum etiam actiones omnes sunt vitales, beneficio illius gratiæ.

Tertio, quia sicut hominis cor vigilat perpetuo, dormientibus etiam cæteris membris cum in perpetuo motu sit; (unde a cura dictum docet Isidorus, I. XI. etym. cap. 4.) ita Spiritus sanctus pro omnibus Ecclesie membris vigilat continuo. Nam quando ipsi etiam minime de salute sua cogitant, procurat interim Spiritus sanctus sa-

lutem eorum, excitando ad pœnitentiam, promovendo in bono, animando, consolando, instruendo, arguendo, puniendo. Unde sponsæ vox illa: *Ego dormio et cor meum vigilat*, Cant. V. q. d. me dormiente et aliis rebus occupata, Spiritus sanctus vigilat et res meas curat ac moderatur.

V. Quid in mundo Spiritus sanctus? Quod in domo paterfamilias. Quemadmodum enim paterfamilias distribuit familiæ suæ necessaria ad vitam, victum, amictum, mercedem majorem, vel minorem pro cujusque exigentia: ita Spiritus sanctus partitur in Ecclesia dona sua fidelibus; uni gratiam docendi et explicandi Scripturam, alteri concionandi, alii morbos sanandi, miracula patrandi, etc. Et propterea effundi a Deo dicitur instar pluvie, Joelis II. et a Petro, Act. II. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*, etc. Quemadmodum enim aqua pluvialis e nube effusa, dum per aeris regionem decidit, in minutissimas guttas dividitur, ut in omnes terræ partes ad minimas etiam herbulas et gramina placide se insinuet, omnibusque viventibus suam portionem dispertiat, ut habeant unde vivere et crescere queant; ita Spiritus sanctus neminem adeo negligit, ut non ei sufficientem gratiam impertiat, ad hoc ut possit converti, vivere Deo et crescere in virtutibus. D. Bernardus, ser. II. in pent. asserit eum tripotissimum dona hominibus impertire: primo, pignus salutis, seu testimonium quod sint filii Dei, quo ingenti solatio animantur justi: secundo, robur vitæ, ut in laboribus, vigiliis et in omnibus mandatorum observantiis delectabiliter incedant: tertio, scientiæ lumen, ut eum omnia bene fecerint, servos se inutiles putent, et quidquid boni in se invenerint, illi tribuant, unde omne bonum est.

VI. Quid in mundo Spiritus sanctus? Quod in schola magister. Quemadmodum enim in forma ignearum linguarum sedit super apostolos; ita velut doctor sedet in Ecclesia, et primo docet et illuminat Ecclesiam ejusque pastores, præsertim summum pontificem interno lumine, ut ne in rebus fidei definiendis ac docendis errent, instruitque eos contra hæreses. Deinde, fidelibus omnibus tantum infundit lumen fidei et scientiæ, ut eo præstent omnibus gentiliū philosophis: idque a pueritia facillime arripiant. Addit etiam externum lumen, conciones, libros pios, præceptores, confessarios, pastores, a quibus juvari possunt et discere necessaria.

Secundo, creat multos e suis discipulis magistros et doctores, conferendo illis non solum excellens lumen, sed etiam gratiam docendi alios et zelum animarum multoties magno cum impetu et mira animi immutatione, ut videre erat in Saulo, qui quam primum credidit et

baptizatus est, continuo intravit synagogam et prædicavit Christum, confuditque Judæos. Videret erat in aliis quoque. « Implet namque citharæcedum (inquit D. Greg. hom. XXX. in evangelio) puerum, et psalmistam facit: implet pastorem armentarium sycomoros vellicantem, et prophetam facit: implet abstinentem puerum, et judicem snm facit: implete piscatorem, et prædicatorem facit: implet persecutorem, et doctorem gentium facit: implet Publicanum, et evangelistam facit. O qualis est artifex iste Spiritus, nulla ad descendum mora, agitur in omne quod voluerit: mox enim ut tetigerit mentem, docet, solumque tetigisse docuisse est. »

Tertio, imbuit etiam bonis moribus fideles, dirigens primo superiores, ut condant salutare leges. Inde orti ss. canones, qui nihil aliud sunt, nisi justissimæ et saluberrimæ leges ac regulæ summorum pontificum, Conciliorum, episcoporum: secundum quas Christiani vitam suam conformare jubentur. Secundo, emolliens subditorum voluntatem, ut suavi Christi jugo colla sua subjiciant.

VII. Quid in mundo Spiritus sanctus? Quod in structura architectus: scimus Deo Patri tribui mundi creationem: scimus ejusdem reparationem a Filio Dei factam, adeoque etiam Ecclesiam ab ipso fundatam et ædificatam. Verum ultimam manum magnifico huic ædificio imposuit Spiritus sanctus. Non quod Pater et Filius suam manum non adhibuerint ad consummationem hujus operis; sed quod hæc perfectio proprie attribuitur Spiritui, qui cum sit complementum totius SS. Trinitatis, recte etiam tribuitur ei complementum mundi tam reparati quam creati. Nam quod attinet ad creationem mundi satis aperte docet Scriptura, mundi perfectionem tribuendam Spiritui sancto. Gen. cum ait: *Terra autem erat inanis et vacua et tenebræ erant super faciem abyssi, et spiritus Domini ferebatur super aquas. Ferebatur*, hoc est (ut ex Hebræa voce *merachephet* exponunt Basilius et Hieronymus) *incubabat aquis*, quasi avis nido et pullis, cum fovere eos volens, se demittit in nidum; ut etiam indicat Ecclesia in benedictione fontium Spiritui sancto accinens: *Tu super aquas faturus eas ferebaris*. Quod ergo adhuc rudis et indigesta moles erat, Spiritus sanctus fovere et perficere, ac quodammodo ex aquis velut ex ovis excludere reliquæ mundi creaturas cepit. Idem confirmatur ex Ps. XXXII. ubi legitur: *Verbe Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Hieronymus Hebræam vocem *zevaam* vertit, *ornatus eorum*. Ergo per verbum Dei mundus quidem creatus: per spiritum vero oris divini perfectus et ornatus est. Ergo etiam ornatum et complementum Ecclesie Christi jure

attribuimus Spiritui sancto. Negari enim non potest, Christi passi et resuscitati tempore mundum adhuc fuisse tenebris idololatriæ et scelerum aliorum undique refertum, plerosque etiam Judæos in sua obstinatione perstitisse. Ergo post ascensionem Christi cepit Spiritus incubare mundo et fovere pullos Christi, aggregando eos Ecclesie et virtutibus expoliendo: cepit vivis coloribus domum a Christo jam ante erectam, undique depingere et auleis exornare: cepit Ecclesie templum a Christo, exstructum, velut episcopus, sanctificare et sacris ritibus inaugurare, adeoque Christi sponsam facere sanctam, impollutam, non habentem maculam aut rugam.

VIII. Quid in mundo Spiritus sanctus? Quod in via ductor, in navigio navarchus. Ut enim ductor viæ gnarus et peritissimus navarchus maximo sunt solatio et præsidio iis, qui iter terra marique faciunt: ita etiam Spiritus sanctus, cum sit dux et navarchus Ecclesie, omnibus fidelibus summam afferre confidentiam debet. Monstrat enim nobis primo, viam vitæ æternæ ad instar columnæ illius, quæ Hebræos duxit per desertum ad terram promissionis, Num. IX. quia: *Sancti per Spiritus sancti septiformem gratiam additum vitæ celestis inveniunt*, inquit ven. Beda. Monstrat autem per superiores, per conciones, per libros pios, per internas inspirationes, etc.

Deinde, sicut columna illa monuit quando proficiscendum, quando sistendum esset: ita Spiritus sanctus per episcopos monet fideles ac instruit quando jejunandum, feriandum, confitendum, communicandum, quando preces publicæ et supplicationes instituendæ, aliaque ad Dei cultum rite peragendum, pertinentia. Tertio, quemadmodum columna illa defendit Hebræos, cum Egyptii eos insequerentur, uti legitur Exod. XIV. ita Spiritus sanctus protegit Ecclesiam contra ejus adversarios, Turcas, hæreticos, cæcodæmones. Quod etiam prædictum Zach. II. *Et ego ero et ait Dominus, murus ignis in circuitu*. Quis hic murus igneus, nisi Spiritus sanctus specie igne delapsus super novellam Christi Ecclesiam? Columna illa de die protexit Hebræos ab æstu, de nocte a frigore, ita Spiritus sanctus protegit et consolatur Ecclesiam in omni adversitate, si oppugnent hæreses, ignea illa veritatis columna est; si oppugnent tentationes et plagæ, erit ei columna nobis seu consolationis.

IX. Quid in mundo Spiritus sanctus? Quod in horto hortulanus. Ut enim is hortum suum perpetuo perambulat, ac lustrat quid ejus cultura desit: modo evellit noxias herbas, modo plantat bonas, modo terram vertit, modo eandem impingnat, modo areolas efformat in varias figuras, ita Spiritus sanctus excolit Ecclesiam imprimis, deinde in specie, uniuscujusque ani-

mam, quæ se ejus culturæ permittit, uti testatur S. Chrysost. ho. XXXI. in Joan. « Tamquam hortum virentem, inquit, et semper florentibus arboribus comantem, ita promptam animam disponit (Spiritus sanctus) ut nulla anxietate, nullis Satanæ insidiis distrahi sinat, sed omnia ardentia malitiæ tela extinguat. » Itaque ab Ecclesia et cujusque anima extirpare imprimis vitia conatur per frequentem usum sacramentorum, per censuras et adhortationes: deinde, implantare virtutes nititur et primorum Christianorum avitam pietatem revocare, vel saltem nobis inculcare, ut intelligamus quam longe recesserimus a majorum nostrorum fide, zelo et fervore. Rursum concessis crebro indulgentiis plenariis hortulum impinguat provocando fideles ad penitentiam et bona opera. Ad hæc certis temporibus instituit visitationes et reformationes abusuum introductorum; excitat et instituit novos religiosorum cœtus quasi pulcherrimas florum areolas, ut per eos incitet ad novum virtutis amorem etiam sæculares. His ergo et similibus modis Ecclesiam communit et disponit, ut nullis Satanæ insidiis cedat, sed sit hortus conclusus uti canit sponsus, Cant. IV.

X. Quid in mundo Spiritus sanctus? Quod in ovili est ostiarius, uti legimus in hodierno evangelio, et de Spiritu sancto exponit Theophylactus, necnon D. Augustinus. Ergo sicut ostiarius non ovios quosque intronit in ovile, sive homines, sive pecora, sed pastorem legitimum et oves tantum ab ovile spectantes: ita Spiritus sanctus advigilat Ecclesiæ ostio, ut non quosvis pastores in eam admittat, sed ab Ecclesia approbatos et idoneos post acceptam a magistratu ecclesiastico jurisdictionem, quod nequaquam observari potest apud hæreticos, cum non habeant episcopos seu Magistratum ecclesiasticum. Ad hæc attendit etiam catholicis, et idoneis alioqui sacerdotibus, ut cum Simone illo sancto in spiritu veniant in templum; non per fraudem, vim, vel simoniam invadant pastoralia munera aliasque ecclesiasticas dignitates. Tales enim acerrime plectit, et cum potest, statim exturbat, atque a fidelium communione segregat per anathema.

Nihilominus observat etiam Spiritus sanctus cæteros quando Ecclesiam ingrediuntur per baptismum, ut ne, si adulti sint, rudes et ignari, sed prius in fide bene instructi suscipiant baptismum, ut absit fictio et dolus, ut habeant susceptores, qui pro eis eorumque in fide constantia atque obedientia spondeant, etc. Denique, ad fidelium quorumvis ostium, quod est cor illorum, excubare solet, eosque suaviter monere; uti ne pulsanti ad ostium Christo (velut um eos ad penitentiam, ad religionem, vel

præclarum aliquod virtutis opus vocat) fores oppressulare velint, sed diabolo tantum ocludant ad malum provocanti. Christus sane per os Joannis, Apoc. III. ait: *Ego sto ad ostium ei pulso: si quis audierit vocem meam et aperuerit januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo et ipse mecum.* Ex quibus verbis patet, in potestate hominis esse aperire Christo et non aperire. Ergo Spiritus sanctus sedulo adlaborat, ut persuadeat fidelibus ne excludant sponsum suum, sed cum sponsa dicant: *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo,* Cant. V. Memor illius cœnæ, quam una cum sponso percipiet partim hic per gratiam, partim ibi per gloriam, quam nobis impertiat ostiarius cœli, Spiritus sanctus cum Patre et Filio.

CONCIO II.

MEDIA AD CHRISTIANAM PERFECTIONEM INSPIRATA A SPIRITU SANCTO PRIMIS CHRISTIANIS.

I. Verbi Dei sincerus auditus. — II. S. communio digna et frequens. — III. Assidua oratio. — IV. Abdicatio honorum. — V. Solitudo et mentis recessus. — VI. Eleemosyna. — VII. Gaudium spirituale.

THEMA.

Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant. Joan. X.

Quam diversi, quam contrarii sibi, auditores, sunt Spiritus sanctus et spiritus malus! Spiritus malus impulit filios Noe, primos post diluvium homines ut turrim vanitatis sibi ædificarent, cujus culmen usque ad cœlum pertingeret, non quo in cœlum ascenderent, sed quo nomen sibi in terra facerent, adeoque per superbiam recta in orbem descenderent, Gen. XI. Spiritus vero sanctus filios Christi impulit, primos post dominicæ passionis diluvium Christianos, ut turrim perfectionis christianæ sibi ædificarent, cujus culmen ad cœlum, hoc est, ad angelicam sanctitatem proxime accederet, non quo sibi nomen in terra facerent, sed quo per humilitatem usque ad cœlum et cœlestem beatitudinem scanderent. Quantum igitur turris illa Babel, turris vanitatis displicuit Domino Deo, tantum hæc Christianorum turris sanctitatis placuit eidem. Quare in structura illa confudit Deus linguas hominum, et unam omnium dissecuit in diversas, ut nemo alterum intelligeret: in hac vero e contra omnium pene rationum linguas inter se diversissimas adeo univit, et in unum quodammodo os concessit, ut omnes se mutuo intelligerent. Ibi civis civem, propinquus propinquum minime intellexit; hic peregrinus peregrinum quasi concivem suum optime intellexit: ibi qui in unum congregati erant, dis-

persi sunt per orbem in varias nationes; hic qui prius dispersi erant, congregati in unum Ecclesiæ ovile et fidei communionem: ibi vanitas et superbia hominum turrim quam inceperant, reliquit imperfectam; hic fides et humilitas credentium turrim sanctitatis cœptam perduxit usque ad altissimæ perfectionis culmen. Unde S. Gregorius, hom. XXX. super evangelium, quæ est, in fest. pent. ait: *Qui contra Deum turrim ædificare conati sunt, communionem unius linguæ perdiderunt. In his autem qui Deum humiliter metuebant* (primis Christianis scilicet) *linguæ omnes unitæ sunt. Hic ergo humilitas virtutem meruit, illic superbia confusionem.* Atque hæc est contrarietas, hoc est discrimen Spiritus sancti et spiritus mali, quod depingit Dominus in hodierno evangelio, cum de se quidem et Spiritu suo ait: *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant,* hoc est, non solum ut per gratiam vivant, sed ut vitam vivant perfectam omni virtutum genere et Spiritus sancti donis exornatam. De spiritu vero malo ait: *Fur non venit, nisi ut furetur et mactet et perdat.* Sed nos relicto jam fure ejusque assecis, contemlemur Spiritus sancti structuram in primis Christianis eorumque perfectionem.

Quid in primis illis Christianis operatus sit Spiritus sanctus recens illis datus, legimus, Act. c. II.

I. *Erant perseverantes in doctrina apostolorum,* sed qua ratione? Eam audiendo, ruminando et meditando, in opus redigendo sibi applicando. Hæc enim tria inculcat Deus Hebræis imprimis, Deut. VI. cum per Moysen ait: *Erunt verba mea in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos.* Ergo qui perfectionis christianæ turrim vult extruere, fundamentum in anima sua ponat Dei verbum; idque primo, sedulo audiat non aure corporis tantum, sed et cordis. Propterea enim tabulæ legis Mosaicæ in arca fœderis asservabantur, III. Reg. VIII. quia Dei verba maximo studio asservanda velut verba vitæ æternæ sunt. Deinde, sæpe ea ruminet ac repetat partim secum, partim cum aliis, liberis præsertim ac subditis, si quos habeat: *Narrabis ea filiis tuis,* inquit Moyses, Hebraice habetur: *Acues ea,* q. d. iterabis et sæpius repetes, quomodo culter acuendus crebro affricatur coti. Unde subdit: *Et meditaberis in eis sedens, ambulans, dormiens atque consurgens.* Neque hic sistendum, sed opere etiam implenda sunt Dei verba, unde subjicit Moyses: *Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos.* Quid vero est manui

alligare Dei verba nisi opere ea implere? Quid ponere inter oculos, nisi ad ea velut ad regulam et exemplar conformare gressus et actus suos? Sicut enim qui in alto mari navigat, si nolit a via aberrare, ad acum nauticam recurrit eamque semper quasi præ oculis habet: ita voluit Deus proponi nobis verbum suum, ne a salutis itinere deflectamus. Unde David ait: *Lucerna pedibus meis verbum tuum,* Ps. CXVIII. Bonorum itaque Christianorum est verbum Dei esurire, et cum gustu capere: libenter de rebus salutis loqui, prompte obedire Spiritui sancto, et velle dirigi, moneri, corrigi a viro spirituali. Quæ si quis in se experiat, is signum habet inhabitantis in se Spiritus sancti. Nam: *Uti esurire,* inquit D. Chrysostomus, hom. XIV. in Gen. *signum est valetudinis in corpore sic amare divina eloquia, indicium maximum sanitatis in anima.* Rursum sicut ignis ceram emollit et tractabilem facit, atque ad omnium rerum ac sigillorum formas recipiendas disponit; ita Spiritus sanctus habitans in homine disponit eum ad recipiendum Dei verbum, eique obediendum.

II. *Erant perseverantes in communicatione fractionis panis,* hoc est, in sacræ eucharistiæ communione, quæ etiam ab apostolo et ss. patribus vocatur *fractio panis et communiō,* tum quia est communis mensa omnium fidelium, tum quia in ea unum et eundem panem in individuo omnes comedimus, quod in aliis cibis non fit; tum quia per eam inter nos et cum Christo unimur. Alterum ergo animæ nostræ pabulum, quo mirum in modum crescere et proficere ad sanctitatem possumus, est frequens et perseverans usus s. eucharistiæ. Quemadmodum enim panis corporalis restaurat et roborat vires corporis, et quomodo lignum vitæ in paradiso vitam hominibus perpetuo conservasset, si tamen sæpius de eo gustasset: et quemadmodum Hebræos in deserto cœlesti manna semper refecit, et perduxit tandem ad terram promissam; ita et eucharistiæ frequens ac dignus usus vitam hominibus conservat spiritualem, et præterea eosdem roborat, et saniores ac sanctiores semper facit, tandemque ad perfectionis apicem et vitam lacte et melle manantem promovet. Pulchre de hoc profectu vaticinatus est Oseas, capite XIV. *Ero quasi ros Israel,* (ita per ipsum loquitur Deus) *et germinabit sicut liliū, et erumpet radix ejus ut Libani. Ibunt rami ejus, et erit quasi oliva gloria ejus, et odor ejus ut Libani: vivent frumento.* Quæ omnia de eucharistia intelligit Cyrillus Alexandrinus, in comment. super Oseam. Ros ergo eucharistiam denotat; siquidem manna (eucharistiæ typus) ad instar roris concreti, imo ut Hebræi tradunt, una cum manna nos de cœlo descendit. Sed